Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Lamperto

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

precibus interpellat. hec est voti mei ut virgo vernula et pater.

De sancto Lamperto

Lampertus nobilis genere sed nobilior sanctitate ab ipsis incunabulis etatis sue litteris eruditus adeo pro sua sanctitate ab omnibus amabatur ut post Theodardum magistrum suum Tretensis ecclesie in episcopum meruit promoveri. Quem Childericus rex plurimum diligebat et pre omnibus episcopis specialiter habebat. Sed crescente ut videtur malicia sine causa eum impii expellentes honore debito privaverunt Feramundum in eius cathedra statuunt. At Lampertus monasterium ingressus per vii annos ibidem conversatus optime. Quadam vero nocte ab oratione surgens inprovide per ignorantiam sonum fecit quod audiens abbas dixit: Quis est qui hunc sonum fecit statim vadat ad crucem. Tunc Lampertus nudis pedibus in cilicio ad crucem cucurrit ibique tam diu in nive et glacie fixus stetit donec fratribus post matutinas se calefacientibus abbas cum de eo cogitaret et audiens quod quidam frater esset qui ad crucem missus fuit eum introduci fecit et abbas cum monachis veniam postulavit. Ille vero non solum clementer indulsit sed de bono pacientie eis sublimiter predicavit. Post vii annos Feramundus expulsus est et sanctus Lampertus iubente Pipino ad sedem propriam est reductus. Cum autem sic prius verbo et exemplo polleret insurgentes in eum duo maligni eum graviter inquietare ceperunt quos amici pontificis sic ut erant occiderunt. Eo tempore Lampertus Pipinum de quadam meretrice quam tenebat plurimum increpavit. Dodo autem quidam consanguineus eorum qui occisi fuerant et frater ipsius meretricis domesticus aule regie congregato exercitu domum episcopi circumquaque obsedit volens necem occisorum in sanctum vindicare Lampertum. At cum puer Lamperto in oratione posito nunciasset ille confisus in domino ut eos expugnaret invasione arripuit. Deinde ad se rediens gladium deiciens putavit melius iudicavit ut persistendo et moriendo vinceret quam ut sacerdotales manus de impiorum sanguine macularet. Tunc vir dei servos admonuit ut peccata sua confiterentur et mortem pacienter sustinerent. Statimque impii irruentes sanctum Lampertum in oratione prostratum peremerunt circa annos domini dcc.xx. Discedentibus quidem eius famulis clandenter corpus eius occulte ad cathedralem ecclesiam navigio perduxerunt. Et cum illic civitatis medici sepulture dederunt.

De sancto Matheo. De nomine

Matheus binomius extitit scilicet Matheus et Levi. Matheus interpretatur donum festinationis. vel quasi magnus donator consilii. vel dicitur Matheus a magnus et theos quod est deus quasi dei magnus. vel a manus et theos quasi manus dei. Fuit enim donum festinationis per festinam conversionem. Donator consilii per salubrem predicationem. Magnus deo per vite perfectionem. Manus dei per evangelii conscriptionem. Levi interpretatur assumptus vel applicatus sive additus vel appositus. Fuit enim assumptus ab exactione vectigalium. applicatus numero apostolorum. additus consortio evangelistarum. et appositus cathalogo martirum. Matheus apostolus in Ethiopia predicans in civitate que Nadaber dicitur duos magos nomine Zaroes et Arphaxat reperit qui ita homines